

- CH.* nunc ego te in hac re mi oro ut adiutrix sies, 885  
 ego me tuae commendo et committo fide[i],  
 te mihi patronam capio, Thai', te obsecro :  
 emoriar si non hanc uxorem duxero.
- 50 *TH.* tamēn si pater . . ? *CH.* quid ? ah volet, certo scio,  
 civis modo haec sit. *TH.* paullulum opperirier 890  
 si vis, iam frater ipse hic aderit virginis ;  
 nutricem accersitum iit quae illam aluit parvolam :  
 in cognoscendo tute ipse aderi', Chaerea.
- 55 *CH.* ego vero maneo. *TH.* vin interea, dum venit,  
 domi opperiamur potiu' quam hic ante ostium ? 895  
*CH.* immo percupio. *PY.* quam tu rem actura obsecro es ?  
*TH.* nam quid ita ? *PY.* rogitas ? hunc tu in aedis  
 cogitas  
 recipere posthac ? *TH.* quor non ? *PY.* crede hoc meae fide[i],  
 60 dabit hic pugnam aliquam denuo. *TH.* au tace obsecro.  
*PY.* parum perspexisse ei(u)s videre audaciam. 900  
*CH.* non faciam, Pythias. *PY.* non credo, Chaerea,  
 nisi si commissum non erit. — *CH.* quin, Pythias,  
 tu me servato. *PY.* neque pol servandum tibi  
 65 quicquam dare ausim neque te servare : apage te.  
*TH.* adēst optume ipse frater. *CH.* perii hercle : obsecro 905  
 abeamus intro, Thais : nolo me in via  
 cum hac veste videat. *TH.* quām ōb rem tandem ? an quia  
 pudet ?  
*CH.* id ipsum. *PY.* id ipsum ? virgo vero ! *TH.* i prae,  
 sequor.
- 70 tū iſtic mane ut Chremem intro ducas, Pythias.